

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Andr. Qvenstedii, SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin. in
Acad. Witteberg, Ethica Pastorum, & Instructio Cathedralis,
sive Monita, Omnibus ac ...**

Quenstedt, Johann Andreas

Wittebergæ, 1708

VD18 13565508

XX. Totius Concionis ideam, dispositione, partes praecipuas, partiumque
periodos memoriae firmiter imprimat.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213082)

Totius Concionis ideam, dispositionem, partes præcipuas, partiumque periodos memoriæ firmiter imprimat.

Εἰς τὴν συντομίαν.

Reqviritur in Evangelii Præcone memoria non solum velox ad comprehendenda ea, quæ proponuntur aut leguntur & fidelis ad continenda, quæ accepit: (uti enim manus, ita memoriæ duæ hæ sunt virtutes præcipuæ; *Facile percipere, & percepta diu retinere*, quod *Quintiliano* placuit.) Sed & prompta ad reddenda illa, quæ postulantur. Qui à memoria multum laborat, vix ad hoc munus idoneus judicari potest. Quidam verò integram concionem de verbo ad verbum, immenso labore ediscunt, eamque insigni cum molestia ac difficultate de suggestu recitantes, ita sese ad verba adstringunt, ut si forte unum ex charta verbum non succurrat, hæreant, ima summis misceant & universum sermonis contextum turbent, ac propterea filum orationis citius, quam par est, abrumperere cogantur. Sed hoc ab omnibus ferè improbatum; *Non consultum censeo*, inquit *D. Aegid.*

D. Aegid. Hunnius Meth. Conc. col. 1038. ut quis memoriam oneret certo certorum verborum conceptu, prout in charta concio consignari solet; Effet enim laboris immensi, si quis ad certa verba se astringens, ea quæ conscripsit, de verbo ad verbum ediscere laboraret. Et periculum est, si quis uno verbo impingat, ut in toto contextu concionis hallucinetur, cum è contra multò sint liberiores, qui dispositionem ipsam animo complexi verbis certis se non astringant. Et Carol. Regius monet. Orat. Christ. lib. VIII. cap. 20. Ne sis addictus verbis, tanquam ex scripto pronuncies. Nam posset ea cura inter dicendum anxium & titubantem reddere, valdeque turpe est, in publico dicentem harere &c. Quidam commendant iteratam Concionis consignatæ lectionem, voluntque ut aliquoties tantum perlegatur, crebram enim ex memoria repetitionem debilitare memoriam. Aliqui concionem memoriæ mandant per partes, omnia clarâ voce pronunciando. Alii legunt periodum attentè & submotâ chartâ sententiam in animo tacitè aliquoties retractant. Isidorus Lib. de summo bono, cap. 14. ad finem inquit: Acceptabilior est sensibus lectio tacita, quàm aperta, amplius enim intellectus instruitur, quando vox legentis (& meditandis) quiescit, & sub silentio lin-

gua

qua movetur, nam clarè legendo (& lectarepe-
tendo ac recolendo) & corpus lassatur & vocis
acumen obtunditur. Carolus Regius loc. citat.
vult, ut ad meditandum voce submissa quasi
murmure utatur Ecclesiasticus Orator; rati-
onem hanc addit, quia, ait, & silentium affert
alias cogitationes & illa immurmuratio, expres-
sioq; verborum altius mentes infigit. Nonnul-
li svadent, ut initio Ecclesiastes secum volvat
concionem in mente, postea cum murmure
& subinde elevatâ voce. Sic enim gemino
motu pronunciandi & auscultandi memoriâ
juvari. Quidquid hâc de re sit, firmiter o-
mninò memoriæ imprimere debet Concio-
nator totius Concionis dispositionem, seu
partes singulas, partiumq; periodos. Ac ut eò
facili9 memoriæ infigatur dispositio, in mar-
gine ea assignetur, vel partes principales Con-
cionis majusculis literis scribantur, initiis per
interstitia formatis, ut earum subordinatio
distinctè appareat. Multum etiam juvabit
memoriam, si non modò singulis partibus
& periodis novæ tribuantur lineæ, sed et-
iam res & argumenta, itemqve præcipua
Scripturæ dicta lineolis colore diversis no-
tentur & allegationes ad marginem signen-
tur. Post scriptionem statim ad memo-
randum accedendum est, dum res inventæ

& dispositæ adhuc recenter animo obversantur. Ipsa autem memoratio, seu meditatio tempore potissimum matutino fiat, ubi Spiritus animales integris adhuc viribus pollent, nec tamen fatigari debet continuâ repetitione memoria, sed interponi aliquod tempus, quo recreetur. Caveat verò Ecclesiasticus Orator ne statim à *prandio*, cibo nondum digesto vel post *Cenam*, tempore quieti destinato ad meditationem delabatur, vel in ediscenda concione laboret, hoc enim cum præsentissimo valetudinis detrimento conjunctum est: Calor enim è ventriculo avocatur, & corporis vires exhauriuntur. Cruditates etiam inde oriuntur, quæ memoriam turbant & actionem impediunt. Potest interim immediate ante somnum vel decubitus horam tacite concionis summam percurrere, brevemq; illius repetitionem instituere, sic enim fiet, ut nocturno evigilans tempore singulos præsentis seu obvios habeat conceptus suos (ut loquitur *Grossius* loco supra alleg.) & faventer possit horâ videlicet, tertiâ vel quartâ in lecto ruminare atque recolere. Et si forte aliquid subterfugiat, & inter memorandum nolit occurrere, non curet, sed pergat. *Dicit non potest*, inquit *B. Dannhaub* verg *Tractat. de Memor. pag. 42. quantum confirmet memoriam illud*

illud tempus, quod oblivionis alias esse causa solet. Monet insuper Carolus Regius, Orat. Chr. lib. X. cap. 15. in fine, ut Concionator Concionem ita paratam tempestivè memoria mandet neq. redigi se in angustias temporis ita patiat. ut cogatur vim asferre memoria. Cum vehementer id defatiget mentem ac spiritum, arefaciat & vigorem ac necessarium ad alacriter & nervosè agendum habitum imminuat. Præterea memoriæ mirificè opitulatur elegans & ordinata Concionis scriptio, accurata rei dicendæ cognitio, aptaq; dispositio. Qui imaginibus artificialibus nituntur, caveant, ne ipsam imaginationem perturbent, & in amentiam incidant, ut bene monet J. H. Ursinus in Ecclesiaste, seu de Concione. S. lib. I. pag. 36. Quærit modò citatus B. D. Dannhaverus Tom. I. Conf. Theol. pag. 1042. num. 32. Annon aliquo casu conciones è charta prælegi possint? Et respondens inquit; Quidni in casu memoriæ deficientis, deliquit senilis? Nam si ordinariè in Cathedra Scholastica doceri solet prælegendo, quid impediat, quin extraordinariè in suggestu fiat idem certiori sermone? Aliàs ad rō & evay orationis pertinet memoriter dicere, & species est ignavia, è charta recitare. Hactenus ille.